

et Sec. XV. frequentius typis prodidit, quorum initium fol. 171. p. 2. quaerendum est, et ita habet: *Apud hebreos Nisan dicitur Aprilis &c. Abrumpuntur fol. 170. p. 2. in his verbis: ouant et ouans non est plus in usu.* Puta: non reperitur in Scriptoribus latinis, qui ad nos pervenerunt, ex quo capite Grammatici quidam recentiores pluribus *Verbis defectivis* torserunt Pueros, quasi vero tota lingua Romana ad verbulum in superstitibus illis Scriptoribus contineretur.

IV. fol. 170. p. 2. Aliud Fragmentum hoc initio: *Ad preces Studentium dum essem lector in monte pessulano et ut fratres pauperes sub compendio sententias haberent librorum Sententiarum Ego frater Johannes de fonte Ordinis minorum fratrum per modum conclusionum Sententialiter distinctionem quamlibet eiusdem voluminis recollegi.* Ut jam supra. Verum post 3. columnas Librarius retraxit manum de tabula. Notat Opus istud *Waddingus* in *Bibl. Ord.* nil vero de Autore, nisi *Gallum* fuisse.

V. fol. 172. finem faciunt Quaestiones lectae e *Quodlibetis Henrici Bonicollii* (Goethals) dicti de *Gandavo*, qui *Parisiis* nomen *Doctoris Solemnis* emeruit, et anno 1293. *Tornaci* decessit. Ordo nullus servatus est; incipiunt enim a *Quaest. 13. VI. Quodl. Vtrum status virginalis sit supra conjugalem*, et mox sequitur *Quaestio 29. Quodl. XII.* Impressa sunt, teste *Foppenio* in *Bibl. Belg. Quodlibeta Henrici Venet. 1518.* et

1613. f. sed et alia ab eodem *Mss.* memorantur, quae, an ab *Impressis* distincta sint, nescio.

## DXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 313  
Folior. 237. 4. commode perscriptus et rubricis distinctus Doctoris cujusdam *Vindob. Lecturam in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* exhibet, in qua mihi videor *Thomae Haselbachii* manum agnoscere. Prolusionis ingressus est: *In actu presenti tria per ordinem restant facienda. Tria haec sunt: Collationem quandam et praesertim 3<sup>ii</sup> Sententiarum Libri praemittere, Quaestionem quandam defendere, et singulis actum praesentem visentibus gratias referre. Quo ad primum resummo thema in prioribus meis principiis assumptum. Pater sanctificavit et misit in mundum. Job. 10. Ex hoc Themate cognosci posset Autor, si subpeterent plures Codices id praeferentes. Quaestio, quam defendendam proponit, est: *Vtrum pater in diuinis suum in mundum mittendo filium ipsum decorauerit caritate infinita et omniscientie largitione*, eamque confert cum *M. Job. Himmel* noto Theologo nostro et *F. Henrico de Colonia O. P.* qui inter annos 1424—46. septies Decanatu Facult. Theol. functus est. Lecturam denique suam a *Dist. VIII.* orditur.*

Codex utrinque vestitur Membrana continente *Literas Antonii Praepositi ecclesie omnium sanctorum*

rum alias *Sancti stephani Wyenne* tanquam *Executoris unici* Brevis dati a *Bonifacio IX.* *Chunrado Amman de Chaufourni* baccalario in decretis ad consequendum Beneficium si cum cura viginti quinque, si uero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti. Literae hae diriguntur ad Episcopum *Patauiensem*, qui non nominatur; erat vero *Georgius I. Hohenlobicus*, et ad Capitulum. Notae chronologicae abscissae sunt, sed Breve *Bonifacii* insertum datum est anno *Pontificatus primo*, id est, 1390. Cum igitur *Antonius* in munere Praepositi non nisi a. 1391. confirmatus fuerit, Literae ipsae ad hunc, vel sequentem annum erunt referendae. Vide de eo *Specimen Hist. Cancellarior. Univ. Vien.* p. 44.

## DXLIV.

U. III. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 219. 4. currente calamo perscriptus continet: I. *Lecturam in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* hoc initio: *Circa primam distinctionem 3<sup>ij</sup> queritur primo Vtrum dei filius in temporis plenitudine assumpserit humanitatem in suppositi unitatem &c.*

II. fol. 178. p. 2. Executitur *Quaestio: Utrum super aliquo decalogi precepto possit fieri dispensatio. R. sic. super obseruacione sabbati de facto dispensatum est &c.*

III. fol. 185. Incipiunt *contradictiones sancti Thome. In articulis subscriptis contradixit sibi fra-*

*ter thomas tam in summa quam in scriptis (in Libros Sententiar.) unde frequenter videtur dicere contraria. Referuntur dein Articuli. Memini obiter, simile quid me olim impressum vidisse titulo Contrarietatum, ni fallor, S. Thome.*

IV. fol. 188. *Articuli in quibus magister (Sententiar. Petr. Lombardus) non tenetur. Etiam hi feruntur olim editi, addito subinde, non teneri a Magistris Parisiensibus.*

V. a fol. 189. ad finem *Subplementa ad Lecturam supra indicatam, et alia Notata theologica, unde Codicem Professoris cuiusdam Vien. fuisse liquet. Non tamen convincit manus moderna, quae Thecae anticae inscripsit: Varia Notata D. Haselpachij, nullo argumento adlato.*

## DXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 469 Folior. 398. f. lineis longis luculente exaratus et rubricis distinctus continet I. *Quaestiones fuse tractatas in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi, quarum prima: Vtrum solius verbi persona sit humane nature personalis subsistentia? et postrema: Vtrum lex christi evangelica et diuina a lege eterna determinata sit eminenter continens omnem aliam legem ut perfecte vite regula mencium in deum directiua? ad cuius calcem legitur: Et sic est finis terciij libri sententiarum Deo gratias Anno &c. (14) XXIII<sup>o</sup>.*

II.